



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De gratia siue gratitudine. Quæstio 106.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

temptus facit peccatum in Spiritum sanctum, quæ directè ducunt ad pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Ad tertium dicendum, quòd primum peccatum primi parentis, ex quo in omnes peccatum emanavit, non fuit inobediencia secundum quod est speciale peccatum; sed superbia, ex qua homo ad inobedientiam processit. Vnde Apostolus in verbis illis videtur accipere inobedientiam, secundum quod generaliter se habet ad omne peccatum.

QVÆST. CVI.

De gratia siue gratitudine, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de gratia, siue gratitudine, & ingratitude.

¶ Circa gratiam autem queruntur sex.

¶ Primo, verum gratia sit specialis virtus ab alijs distincta?

¶ Secundo, quis teneatur ad maiores gratiarum actiones Deo, vtrum innocens vel pœnitens?

¶ Tertio, verum semper teneatur homo ad gratias pro beneficijs humanis reddendas?

¶ Quarto, vtrum retributio gratiarum sit differenda?

¶ Quinto, verum sic mensuranda secundum acceptum beneficium, vel secundum dantis affectum?

¶ Sexto, vtrum oporteat aliquid maius rependere?

ARTIC. I.

Vtrum gratia sit specialis virtus ab alijs distincta?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd gratia non sit virtus specialis ab alijs distincta. Maxima enim beneficia à Deo & à parentibus accepimus. Sed honor, quem Deo retribuimus, pertinet ad virtutem religionis. Honor autem, quem retribuimus parentibus, pertinet ad virtutem pietatis. Ergo gratia siue gratitudo non est virtus ab alijs distincta.

¶ 2 Præterea, Retributio proportionalis pertinet ad

554
inf q 107
ar. 1. 07.
C 12 q.
6. a. 3. 60.

15. c. 4. 1.
5.

ad iustitiam commutativam, vt patet per Philosophum in quinto Ethicorum †. Sed gratia redduntur vt retributio fit, vt ibidem dicitur. Ergo redditio gratiarum, quæ pertinet ad gratitudinem, est actus iustitiæ. Non ergo gratitudo est specialis virtus ab alijs distincta.

18. c. penul. 1.
9. c. 2. 1. 5

¶ 3 Præterea, Recompensatio requiritur, ad amicitiam conseruandam, vt patet per Philosophum, in octauo, & nono Ethicorum *. Sed amicitia se habet ad omnes virtutes, propter quas homo amatur. Ergo gratia siue gratitudo, ad quam pertinet recompensare beneficia, non est specialis virtus.

1. 2. de inuentione
f. 4. ante
f. lib.

SED contra est, quod Tullius † ponit gratiam specialem iustitiæ partem.

9. 104. 4.
1. es 1. 2.
9. 60. 4. 3

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, secundum diuersas causas ex quibus aliquid debetur, necesse est diuersificari debiti reddendi rationem: ita tamen quod semper in maiori, illud quod minus est, contineatur. In Deo autem primo & principaliter inuenitur causa debiti, eo quod ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum. Secundario autem in patre, quia est proximum nostræ generationis & disciplinæ principium. Tertiò autem in persona quæ dignitate præcellit, ex qua communia beneficia procedunt. Quarto autem in aliquo benefactore, à quo aliqua particularia & priuata beneficia percepimus, pro quibus particulariter ei obligamur. Quia ergo non quicquid debemus Deo, vel patri, vel personæ dignitate præcellenti, debemus alicui benefactorum, à quo aliquod particulare beneficium recepimus: inde est quod post religionem, quæ debitum cultum Deo impendimus; & pietatem, qua colimus parentes; & obseruantiam, qua colimus personas dignitate præcellentes: est gratia siue gratitudo, quæ benefactoribus gratiam recompensat; & distinguitur à præmissis virtutibus, sicut quodlibet posteriorum distinguitur à priori, quasi ab eo deficientis.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut religio est quædam superexcellens pietas, ita est quædam excellens gratia siue gratitudo. Vnde & gratiarum actio ad Deum supra posita*, est inter ea quæ ad religionem pertinent. q. 83. ar. 17.

Ad secundum dicendum, quòd retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutatiuam, quando attenditur secundum debitum legale: puta, si pacto firmetur, vt tantum pro tanto retribuatur. Sed ad virtutem gratiæ siue gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex solo debito honestatis, quam scilicet aliquis spontè facit. Vnde & gratitudo est minus grata si sit coacta, vt Seneca dicit in libro de Beneficijs.

Ad tertium dicendum, quòd cum vera amicitia supra virtutem fundetur, quicquid est virtuti contrarium in amico, est amicitie impeditiuum; & quicquid est virtuosum, est amicitie prouocatiuum. Et secundum hoc per recompensationem beneficiorum amicitia conseruatur: quamuis recompensatio beneficiorum ad virtutem gratitudinis specialiter pertineat.

ARTIC. II.

Virum magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens, quàm pœnitens? 555

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens, quàm pœnitens. Quanto enim aliquis maius donum à Deo percepit, tanto magis ad gratiarum actiones tenetur. Sed maius est donum innocentie, quàm iustitie restitutæ. Ergo videtur quòd magis teneatur ad gratiarum actionem innocens quàm pœnitens.

2 ¶ Præterea, sicut benefactori debetur gratiarum actio, ita & dilectio. Sed Augustinus dicit in secundo Confess. * Quis hominum suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem atque innocentiam suam, vt minus amet te: quasi minus fuerit ei necessaria misericordia tua qua condonas peccata conuersis ad te? Et postea subdit *, Et ideo tantumdem, imò amplius te diligit: quia per quem me videt

l. 2. c. f. t.

7. in me.

10. 1.

Eo. l. 2 c.

7. in p. t. d.

videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari. Ergo etiam magis tenetur ad gratiam reddendam innocens quam pœnitens.

*lib. 2. c. 7.
ante me.
20. 1.*

¶ 3 Præterea, Quanto gratuitum beneficium est magis continuatum, tanto maior pro eo debetur gratiarum actio. Sed in innocente magis continuatur divinæ gratiæ beneficiū, quam in pœnitente. Dicit enim August. ibidem *, Gratia tua deuto & misericordie tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem soluisti. Gratia tua deuto & quæcumque non feci mala. Quid enim non facere potui? Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te ducere non feci. Ergo magis tenetur ad gratiarum actionem innocens quam pœnitens.

SED contra est, quod dicitur Lucæ 7. Cui plus dimittitur, plus diligit. Ergo eadem ratione plus tenetur ad gratiarum actiones.

RESPONDEO dicendum, quod actio gratiarum in accipiente respicit gratiam dantis. Unde ubi est maior gratia ex parte dantis, ibi requiritur maior gratiarum actio ex parte recipientis. Gratia autem est, quia gratis datur. Unde dupliciter potest esse ex parte dantis maior gratia. Vno modo ex quantitate dati: & hoc modo innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur à Deo, & magis continuatum, cæteris paribus, absolute loquendo. Alio modo potest dici maior gratia, quia magis datur gratis. Et secundum hoc magis tenetur ad gratiarum actiones pœnitens, quam innocens: quia magis gratis datur illud quod ei datur à Deo. Cùm enim esset dignus pœna, datur ei gratia. Et sic, licet illud donum quod datur innocenti, sit absolute consideratum maius. tamen donum quod datur pœnitenti, est maius in comparatione ad ipsum. Sicut etiam paruum donum pauperi datum, est ei maius quam diuiti magnum. Et quia actus circa singularia sunt, in his quæ agenda sunt,

sunt, magis consideratur quod est hic, vel nunc tale, quam quod est simpliciter tale, sicut Philosoph. dicit in 3. Ethicor. * de voluntario, & inuoluntario. * 6. R. 2. 1.

Et per hoc patet responsio Ad obiecta.

ARTIC. III.

Vtrum homo teneatur ad gratiarum actiones omni homini benefacienti?

556

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod homo non teneatur ad gratiarum actiones omni homini benefacienti. Potest enim aliquis sibiipso benefacere, sicut & sibiipso nocere: secundum illud Ecclesiast. decimoquarto, Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Sed homo sibiipso non potest gratias agere: quia gratiarum actio videtur transire ab vno in alterum. Ergo non omni benefactori debetur gratiarum actio.

¶ 2 Præterea, Gratiarum actio est quædam gratiæ recompensatio. Sed aliqua beneficia non cum gratia dantur, sed magis cum contumelia, & tarditate, vel tristitia. Ergo non semper benefactori sunt gratiæ reddendæ.

¶ 3 Præterea, Nulli debetur gratiarum actio ex eo quod suam utilitatem procurat. Sed quandoque aliqui aliqua beneficia dant propter suam utilitatem. Ergo eis non debetur gratiarum actio.

¶ 4 Præterea, Seruo non debetur gratiarum actio: quia hoc ipsum quod est, domini est. Sed quandoque contingit seruum in dominum beneficium esse. Ergo non omni benefactori debetur gratiarum actio.

¶ 5 Præterea, Nullus tenetur ad id quod facere non potest honestè, & utiliter. Sed quandoque contingit, quod ille qui beneficium tribuit, est in statu magnæ felicitatis, cui inutiliter aliquid recompensaretur pro suscepto beneficio. Quandoque etiam contingit, quod benefactor mutatur de virtute in vitium, & sic videtur quod ei honestè recompensari non potest. Quandoque etiam ille qui accipit beneficium, pauper est, & omnino recompensare non potest. Ergo videtur

Sec. Sec. Vol. ij. N n quod

quòd non semper teneatur homo ad gratiarum recompensationem.

¶ 6 Præterea, Nullus debet pro alio facere quod ei non expedit, sed est ei nocuum. Sed quandoque contingit quòd recòpensatio beneficij est nociua, vel inutilis ei, cui recompensatur. Ergo non est semper beneficium recompensandum per gratiarum actionem.

SED contra est, quod dicitur 1. ad Thess. ult. In omnibus gratias agite.

RESPONDEO dicendum, quòd omnis effectus naturaliter ad suam causam conuertitur. Vnde Dionys. dicit primo cap. de diuin. nom. * quòd Deus omnia in se conuertit, tamquam omnium causa. Semper enim oportet quòd effectus ordinetur ad finem agentis. Manifestum est autem quòd benefactor, in quantum huiusmodi, est causa beneficiati. Et idè naturalis ordo requirit, vt ille qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem conuertatur ad benefactorem, secundum modum vtriusque. Et sicut de patre dictum est supra *, benefactori quidem in quantum huiusmodi debetur honor & reuerentia, eo quòd habet rationem principij: sed per accidens debetur ei subuentio, vel sustentatio, si indigeat.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Seneca dicit in lib. de Beneficijs *, Sicut non est liberalis qui sibi donat, nec clemens qui sibi ignoscit, nec misericors qui malis suis tangitur, sed qui alijs; ita etiam nemo sibiipsum beneficium dat, sed naturæ suæ paret, quæ mouet ad refatanda nociua, & ad appetenda proficua. Vnde in his quæ sunt ad seipsum, non habet locum gratitudo & ingratiudo. Non enim potest homo sibi aliquid denegare, nisi sibi retinendo. Metaphoricè tamen illa quæ ad alterum propriè dicuntur, accipiuntur in his quæ sunt ad seipsum: sicut de iustitia dicit Philosophus in 5. Ethicorum *; in quantum scilicet accipiuntur diuersæ partes hominis, sicut diuersæ personæ.

Ad secundum dicendum, quòd boni animi est, vt

* de linã
do ad fi.

q. 101. a.
2. q.
31. ar. 3.

ib. 3. c. 9.
parum a
prin.

s. ult. s. 5

ma-

magis attendat ad bonum, quam ad malum. Et ideo si aliquis beneficium dedit non eo modo quo debuit; non ideo debet recipiens a gratiarum actione cessare. Minus tamen quam si modo debito praestitisset, quia etiam beneficium minus est: quia ut Seneca dicit in lib. de Beneficijs *, Multum celeritas fecit, multum abstulit mora.

li. 2. ca. 6.
in prin.

Ad tertium dicendum, quod sicut Seneca dicit in 6. de Beneficijs †, Multum interest, utrum aliquis beneficium nobis det sua causa an nostra, an sua & nostra. Ille qui totus ad se spectat, & nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo mihi loco habendus videtur, quo qui pecori suo pabulum prospicit: si modo me in consortium admittit, si duos cogitavit, ingratus sum non solum iniustus, nisi gaudeam hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summae malignitatis est non vocare hoc beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo afficit.

† lib. 6. c.
12. circa
med.

Ad quartum dicendum, quod sicut Seneca dicit in tertio de Beneficijs *, quamdiu seruus praestat quod a seruo exigi solet, ministerium est. Vbi plusquam quod seruo necesse est, beneficium est. Vbi enim in affectum amici transit, incipit vocari beneficium. Et ideo etiam seruis ultra debitum facientibus gratiae sunt habendae.

li. 3. c. 27.
in prin.

Ad quintum dicendum, quod etiam pauper ingratus non est, si faciat quod possit. Sicut enim beneficium magis in affectu consistit, quam in effectu: ita etiam recompensatio magis in affectu consistit. Unde Seneca dicit in 2. de Beneficijs *, Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit. Quod gratè autem ad nos beneficia peruenerint, indidem effusis affectibus. Quod non ipso tantum audiente, sed ubique testemur. Et ex hoc patet, quod quantumcumque in felicitate existenti potest recompensatio beneficii fieri per exhibitionem reuerentiae, & honoris. Unde Philosophus dicit in octavo Ethicorum *, quod superexcellenti quidem debet fieri

li. 2. c. 29
in f. illi^o

li. 8. c. vi.
cir. med.
to. 5.

Na 2 ho-

honoris retributio, indigenti autem retributio lueri.
 ¶ videtur Et Seneca dicit in quinto de Beneficijs †, Multa sunt
 † ferri ex per quæ quicquid debemus, reddere & felicibus pos-
 6. 13. l. 5. sumus, fidele consilium, assidua conuersatio, sermo
 communis, & sine adulatione iocundus. Et ideo non
 oportet vt homo optet indigentiam eius, seu miseria-
 m, qui beneficium dedit, ad hoc quod beneficium
 recompensetur: quia vt Seneca dicit in sexto de Be-
 neficijs*, Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium
 haberes, inhumanum erat votum. Quanto inhumanius
 ei optas, cui beneficium debes? Si autem ille qui be-
 neficium dedit, in peius mutatus est, debet tamen sibi
 fieri recompensatio secundum statum ipsius: vt scilicet
 ad virtutem reducatur, si sit possibile. Si autem sit
 insanabilis propter malitiam, tunc alter est effectus,
 quam prius erat. Et ideo non debetur ei recompensa-
 tio beneficij sicut prius. Et tamen quantum fieri po-
 test, salua honestate, memoria debet haberi præstiti
 beneficij: vt patet per Philosophum in nono Ethicorum †.

li. 6. c. 27
 in fi. illi?

† c. 2. l. 5.

* In solu.

ad prac.

5. arg.

li. 6. c. 19.

paulo a

prin.

ad

tuendum.

Ad sextum dicendum, quod sicut dictum est*,
 recompensatio beneficij præcipue pendet ex affe-
 ctu. Et ideo eo modo debet recompensatio fieri, quo
 magis sit utilis. Si tamen postea per eius incuriam in
 damnum ipsius vertatur, non imputatur recompensa-
 ti: vt Seneca dicit in sexto de Beneficijs*, Redden-
 dum mihi est, non seruandum cum reddidero, ac
 tuendum.

ARTIC. IV.

Vtrum homo debeat statim beneficium recom-
 pensare?

557

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod homo
 debeat statim beneficium recompensare. illa
 enim, quæ debemus sine certo termino, tenemur re-
 stituere statim. Sed non est aliquis terminus præscri-
 ptus recompensationi beneficiorum, quæ tamen cadit
 sub debito, vt dictum est*. Ergo tenetur homo sta-
 tim beneficium recompensare.

ad prac.

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Quanto aliquid bonum fit ex maiori animi feruore, tanto videtur esse laudabilius. Sed ex feruore animi videtur procedere, quod homo nullas moras adhibeat in faciendo quod debet. Ergo videtur esse laudabilius, quod statim homo beneficium reddat.

¶ 3 Præterea, Seneca dicit in 2. de Beneficijs *, quod proprium benefactoris est libenter, & citò facere. Sed recompensatio debet beneficium adæquare. Ergo debet statim recompensare.

SE D contra est, quod Seneca dicit in 4. de Beneficijs *, Qui festinat reddere, non animum habet grati hominis, sed debitoris.

RESPONDEO dicendum, quod sicut in beneficio dando duo considerantur, scilicet affectus, & donum: ita etiam hæc duo considerantur in recompensacione beneficij. Et quantum quidem ad affectum, recompensatio statim fieri debet. Vnde Seneca dicit in 2. de Beneficijs *, Vis reddere beneficium? benigne accipe. Quantum autem ad donum, debet expectari tempus, quo recompensatio fit benefactori opportuna. Si autem non conuenienti tempore statim velit aliquis munus pro munere reddere, non videtur esse virtuosa recompensatio, sed inuita. Vt enim Seneca dicit in 4. de Beneficijs *, Qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet; & qui inuitus debet, ingratus est.

Ad primum ergo dicendum, quod debitum legale est statim soluendum: alioquin non esset conseruata iustitiæ æqualitas, si vnus retineret re alterius, absq; eius voluntate. Sed debitum morale dependet ex honestate debentis. Et ideo oportet reddi debito tempore, secundum quod exigit restitudo virtutis.

Ad secundum dicendum, quod feruor voluntatis non est virtuosus, nisi sit ratione ordinatus. Et ideo si aliquis ex feruore animi præoccupet debitum tempus, non erit laudandus.

Ad tertium dicendum, quod beneficia etiam sunt opportuno tempore danda: & tunc non est amplius

* ex c. 3. cir. fm.

* in f. illius.

* c. 35. in f. illius.

* in f. illius.

tardandum, cum opportunum tempus aduenerit. Et idem etiam obseruari oportet in beneficiorum recompensatione.

ARTIC. V.

Utrum gratiarum actio sit attendenda secundum affectum benefactoris, an secundum effectum?

558
Sup. a. 3.
ad 5. &
6. & inf.
a. 6. ad 8

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod beneficiorum recompensatio non sit attendenda secundum affectum beneficantis, sed secundum effectum. Recompensatio enim beneficii debetur. Sed beneficium in effectu consistit, ut ipsum nomen sonat. Ergo recompensatio debet attendi secundum effectum.

¶ 2 Præterea, Gratia, quæ recompensat beneficia, est pars iustitiæ. Sed iustitia respicit æqualitatem, dati & accepti. Ergo & in gratiarum recompensatione attendendus est magis effectus, quam affectus benefactoris.

¶ 3 Præterea, Nullus potest attendere ad id quod ignorat. Sed solus Deus cognoscit interiorem affectum. Ergo non potest fieri gratiæ recompensatio secundum affectum.

SED contra est, quod Seneca dicit in 1. de Benefic. * Nonnumquam magis nos obligat qui dedit parua magnificè, & qui exiguum tribuit, sed libenter.

RESPONDEO dicendum, quod recompensatio beneficii potest ad tres virtutes pertinere, scilicet ad iustitiam, ad gratiam, & ad amicitiam. Ad iustitiã quidem pertinet, quando recompensatio habet rationem debiti legalis: sicut in mutuo & alijs huiusmodi: & in tali, recompensatio debet attendi secundum quantitatem dari. Ad amicitiam autem pertinet recompensatio beneficii, & similiter ad virtutem gratiæ secundum quod habet rationem debiti moralis. Aliter tamen, & aliter. Nam in recompensatione amicitie oportet respectum haberi ad amicitie causam. Vnde in amicitia vili debet recompensatio fieri secundum

vti-

utilitatem, quam quis ex beneficio consecutus est. In amicitia autem honesti debet in recompensatione haberi respectus ad electionem siue ad affectum dantis: quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem, vt dicitur in 8. Eth. * Et similiter, quia gratia respicit beneficiũ secundum quod est gratis impensum, quod quidè pertinet ad affectum: idè etiam gratiæ recompensatio attendit magis affectum dantis, quàm effectum.

* c. 13. § 5

Ad primum ergo dicendum, quòd omnis actus moralis ex voluntate dependet. Vnde beneficium secundum quod est laudabile, prout ei gratiæ recompensatio debetur, materialiter quidem consistit in effectu, sed formaliter & principaliter in voluntate. Vnde Seneca dicit in 1. de Beneficijs *, Beneficium non in eo quod fit, aut datur, consistit; sed in ipso dantis, aut facientis animo.

* c. 6. cir. prin.

Ad secundum dicendum, quòd gratia est pars iustitiæ, non quidem sicut species generis, sed per quãdam reductionem ad genus iustitiæ, vt supra dictum est †. Vnde non oportet, quòd eadem ratio debiti attendatur in vtraque virtute.

† q. 80.

Ad tertium dicendum, quòd affectũ hominis per se quidem solus Deus videt: sed secundum quod per aliqua signa manifestatur, potest etiã ipsum homo cognoscere. Et hoc modo affectus beneficientis cognoscitur ex ipso modo, quo beneficium tribuitur: puta, quia gaudenter, & promptè aliquis beneficium impendit.

ARTIC. VI.

Vtrum oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio?

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd non oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio. Quibusdam enim (sicut parentibus) nec etiam æqualis recompensatio fieri potest, sicut Philosoph. dicit in 8. Ethicor. * Sed virtus non conatur ad impossibile. Non ergo gratiæ recompensatio tendit ad aliquid maius.

559
In 9. 107
ar. 2. cor.
cir. f. 1. §.

Nn 4 ¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Si aliquis plus recompensat, quam in beneficio acceperit, ex hoc ipso quasi aliquid de nouo dat. Sed ad beneficium de nouo datum tenetur homo gratiam recompensare. Ergo ille qui primò beneficium acceperat, tenebitur aliquid maius recompensare. Et sic procederetur in infinitum. Sed virtus non conatur ad infinitum: quia infinitum aufert naturam boni, ut dicitur in 2. Metæ. * Ergo gratiæ recompensatio non debet excedere acceptum beneficium.

188. 8. 3

¶ 3 Præterea, iustitia in æqualitate consistit. Sed maius est quidam æqualitatis excessus. Cum ergo in qualibet virtute excessus sit vitiosus, videtur quod recompensare aliquid maius accepto beneficio, sit vitiosum, & iustitiæ oppositum.

c. 5. paulo
post prin.
80. 5.

SED contra est, quod Philosophus dicit in 5. Ethic. * Refamulari oportet ei qui gratiam fecit, & rursus ipsum recipere. Quod quidem fit, dum aliquid maius retribuitur. Ergo recompensatio debet tendere ad hoc quod aliquid maius faciat.

ar. 1. præ.
ar. 3.

RESPONDEO dicendum, quod sicut * dictum est, recompensatio gratiæ respicit beneficium secundum voluntatem beneficientis. In qua quidè præcipue hoc commendabile videtur, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur. Et idè qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, ut similiter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii: quia quamdè recompensat minus vel æquale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit. Et idè gratiæ recompensatio semper tendit, ut pro suo posse aliquid maius retribuat.

In cor. et
ar. 3. &
ad 5. et 6

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dictum * est, in recompensatione beneficii magis est considerandus affectus, quam effectus. Si ergo consideremus effectum beneficii, quod filius à parentibus accepit, scilicet esse & viuere, nihil æquale filius recompensare potest: ut Philosophus dicit *. Si autem attendamus ad ipsam voluntatem dantis, & retribuētis, sic potest filius ali-

li. 8. Eth.
c. ult. 5.

ali-

aliquid maius patri retribuere, vt Seneca dicit in 2. de Beneficijs f. Si tamen non posset, sufficeret ad gratitudinem recompensandi voluntas.

f. lib. 2. c. 11. et 17.

Ad secundum dicendum, quòd debitum gratitudinis ex charitate deriuatur; quæ quanto plus soluitur, tanto magis debetur, secundum illud ad Rom. 12. Nemi- ni quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Et ideo non est inconueniens, si obligatio gratitudinis interminabilis sit.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in iusticia, quæ est virtus cardinalis, attenditur æqualitas rerum: ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntatum: vt sci- licet sicut ex promptitudine voluntatis beneficium aliquis exhibuit, ad quod non tenebatur, ita etiam ille qui suscepit beneficium, aliquid supra debitum recompenset.

QVÆST. CVII.

De Ingratitudine, in quatuor articulos diuisa.

- Deinde considerandum est de ingratitude.
- ¶ Et circa hoc quærentur quatuor.
 - ¶ Primo, vtum ingratitude semper sit peccatum?
 - ¶ Secundo, vtum ingratitude sit peccatum spe- ciale?
 - ¶ Tertio, vtum omnis ingratitude sit peccatum mortale?
 - ¶ Quarto, vtum ingratia sint beneficia subtrahen- da?

ARTIC. I.

Vtrum ingratitude sit semper peccatum?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd in- gratitudo non semper sit peccatum. Dicit enim Seneca in 2. de Beneficijs *, quòd ingratus est qui non reddit beneficium. Sed quandoque aliquis non posset recompensare beneficium, nisi peccan- do: puta si auxiliatus est homini ad peccandum. Cùm ergo abstinere à peccato non sit peccatum, videtur quòd ingratitude non semper sit pecca- tum.

560
Intra 9.
162. a 4.
ad 3.
* li. 3. c. 1.
circa mo-
dum.

¶ 1. Præ-